

Alloquium ad Lectorem.

hementiùs inveheretur, quàm si in sepul-
ti ossa & cineres insultaret, aut si mortui
vexaret manes. Deinde in studiis Ma-
thematicis multùm, diuque versatus Au-
ctor noster, ab illis didicerat purâ, sim-
plicique, nullis ornatâ elegantis, nullis
salibus interspersâ dictione uti. Nec erat
cur ab inficeto hoc dicendi genere absti-
neret, in alio licet Argumento; quoniam
inde fit, ut in Mathesi (nisi fortè *insanias*
quispiam, teste Hobbio) rarissimè erran-
tes deprehenderis. Ut igitur pacato, &
tranquillo animo maximi momenti veri-
tates, easque fanè non obvias investiga-
ret; utque eas perspicuâ & æquabili ora-
tione aliis proponeret amplectendas, mo-
re Mathematicorum, incertos, & turba-
tos fluctuantis ingenii æstus sibi depellen-
dos esse judicavit. Denique, ne mole-
stus sim, quisquis Librum hunc ficcum,
jejunum, omnium festivitatum, vene-
rumque expertem esse cavillabitur, sciat
is Auctorem id solùm egisse, ut verita-
tem gravissimam dilucidè explicaret, &
ut confirmaret nervosè: quod aut ille,
egregiè præstitit, aut à quoquam alio
posse perfici desperabo. Verùm, ut id
obiter moneam, quicquid dixerò in Au-
thoris, operisve laudem meritisimam,
noli